



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 11. Vtrum necesse sit ex integritatem confeßionis confiteri omnia
peccata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

quando non est materia integra : est autem eadem A ratio utrobique, quia etiam illa materia est suo modo falsa, & quae non potest informari per formam. Vnde e converso sumimus argumentum : nam, si hoc non obstante, illud non est peccatum mortale, neque hoc etiam erit ratio vero esse debet, quia, licet hoc sit sacrilegium, tamen materia eius levis est, & ideo ex hoc capite est veniale. Minor probatur, quia in primis confessor decipitur in re levi. Deinde ille defectus, vel falsitas est in materia non necessaria, & quae non excludit materiam necessariam, quia non obstante illo mendacio, potest quis integre, & cum vero dolore confiteri omnia mortalia peccata. Denique non omnino repugnat veritati formae.

In quo est advertenda differentia inter formam B Eucharistiae, & huius sacramenti: nam illa per se primo respicit materiam, & illam designat, & effectum circa illam significat : vnde quaecunque ratione supponatur materia falsa, & falsificatur forma, & substantialis effectus impeditur : forma vero huius sacramenti per se primo significat personam, & effectum circa illam, ut patet ex illis verbis, *Ego te absolvo* : & principaliter significat effectum gratiae remissionis peccati, qui non impeditur, etiam si aliquid peccatum veniale remissibile non sit, ex falsitate, vel indispositione penitentis : ergo non obstante illo defectu, potest forma esse vera, & remittere omnia mortalia. Quod satis est ut homo simpliciter absolvi dicatur: sicut dicitur simpliciter iustus, qui habet gratiam, etiam si habeat venialia peccata. Er potest hoc declarari a simili. Nam si quis in conficiendo baptismate miseret aquae naturali guttam aquae rosaceae, quae est falsa materia, nihilominus conficeret verum sacramentum, & formam in vero sensu proferret: vnde per se loquendo, non peccaret mortaliter, si absque errore, vel intentione falsi ritus, indiscreta devotione id faceret: ergo similiter in praesenti. Vnde simul responsum est fundamento contrario.

Aliqui vero hoc limitant, nisi penitens hoc mendacium dicat, intendendo ut peccatum illud sit materia absolutionis. Sed non oportet hoc addere: quia, licet penitens in hoc intendat decipere confessorem, non peccabit mortaliter, & hoc probant omnia adducta: nec potest aliter intendere quod sit materia absolutionis in re ipsa, sed quod putetur esse: & hoc dicimus non esse mortale.

Circa tertium de mendacio in materia necessaria, scilicet, peccato mortali non confesso, certum est ex omnibus supradictis, mendacium negativum in tali materia semper esse mortale contra substantiam sacramenti. Nam, si quis neget fecisse mortale peccatum, quod fecit, directe & formaliter tollit integritatem: supponimus enim nullam habere legitimam excusationem ad occultandum illud, alias iam hic & nunc non esset materia necessaria. Dubium ergo est de mendacio affirmativo, an scilicet se accusare de peccato mortali, quod non commisit, etiam partialiter, sit peccatum mortale. In quo ex omnibus auctoribus citatis, solum invenio Sylvestrum insinuantem, hanc etiam esse materiam leviem, ac proinde peccatum veniale. Ratio est, quia non est mendacium perniciosum, quantum enim penitens decipiat confessorum, tamen decipit contra se, ideoque non facit illi gravem iniuriam; sibi autem non potest inferre iniuriam: neque etiam infert sibi grave nocumentum contra charitatem propriam, quia vel est dominus famae suae, vel illa infamatio in confessione reputatur levis, respectu eius, qui potest cedere iuri suo: & sepe etiam esse potest levis ex materia, quia in aliqua persona peccatum aliquod mortale, non est gravis infamia. Neque etiam respectu sacramenti videtur gravis iniuria, propter distantiam in peccato veniali.

11 Nihilominus contraria sententia tenenda est: nam

Angel.
Sylvest.
Sotus.
Pet. Soc.
Navarr.

Satisfit con-
trario fun-
damento.

Limitatio
quorundam
reprobatur.

Tertium
circa quod
potest men-
tiri.

Dubium.

Sylvest. re-
sponso.

per se, & seclusa ignorantia inuincibili, hoc est peccatum mortale, & consequenter contra substantiam sacramenti. Quod tenent reliqui Auctores citati, & praeterea Bonavent. d. 17. quaest. vii. Adrianus in 4. q. 5. de Confessione dub. vii. Sylvest. verb. Mendacium. n. 3. Soto lib. 5. de Iusticia, q. 6. art. 1. & q. 70. artic. 2. & Victoria in Summ. numer. 130. & Navarr. capit. 27. numer. 248. Fundamentum contrarium est, quia illa est materia gravis sacrilegii. Quae gravitas declaratur primo ex eo, quod illa est deceptio in materia necessaria sacramenti. Secundo quia in omni iudicio mendacium in iis, quae pertinent ad substantialem causam, decipiendo iudicem in eis, est peccatum mortale, ut latius traditur in 2. loco supra citato. Tertio, quia hoc modo redderetur valde incerta tota notitia, quam confessor accipit de conscientia penitentis, quantum ad numerum, vel species peccatorum mortalium, nec teneretur penitentes examinare conscientiam ut certum numerum dicerent, quia pro suo arbitrio possent illam augere sine peccato mortali. Quae omnia non sunt similia in peccato veniali, & ideo non est similis ratio. Hec autem resolutio intelligenda est per se: nam interueniente ignorantia, & bona fide, clarum est posse penitentem non peccare in hoc, & consequenter facere confessionem validam: quo modo possunt excusari multi simplices, qui putant non male facere dicendo plura, quam fecerunt.

SECTIO X

Virum sit de necessitate, & integritate confessionis ut penitens praemitat diligens examen ad confitenda omnia peccata.

Hae questio moralis est, & prudentiam magis, quam scientiam requirit. Disputant illam Theologi d. 17. ubi breuiter Scotus art. 2. Gabr. qu. 1. & Maior q. 8. Caiet. Tom. 1. Opus. tract. 5. q. 3. Victoria in Summa n. 178. Ledesma 2. p. 4. q. 5. art. 5. Soto d. 18. q. 2. art. 4. ad vltimum. Cano in dict. Relict. p. 5. Petrus Soto lect. 6. de confess. Navarr. in Sum. c. 9. n. 16. & in cap. Fratres. de Penitent. d. 3. num. 68. & sequentibus. Sylvest. verb. Confessio. n. 3. & Ruar. d. a. 5. Ex quibus duo colliguntur, in quibus resolutio huius quaestionis consistit.

Primum ergo certum est, esse de necessitate confessionis ut penitens mortalem faciat diligentiam, ut integre confiteri possit: quod intelligendum est, quando quis habet conscientiam peccatorum mortalium, in quibus requiritur integritas. Et colligitur aperte ex Concilio Tridentino dict. cap. 5. dicente. *Constat autem in Ecclesia nihil aliud a penitentibus exigi, quam ut postquam quis diligentius se excusauerit, & conscientia sua sine omni & latebris explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum offendisse meminerit.* illa ergo diligentia a penitentibus exigitur. Ratio vero est, quia qui praecipit aliquid actum, praecipit media per se necessaria ad illum efficiendum: sed confessio integra omnium peccatorum mortalium praecipitur, ad quam moraliter loquendo, necessaria est haec diligentia: ergo. Confirmatur, quia absolutio, per se loquendo, cadere debet in omnia peccata mortalia; & ideo de eisdem etiam debet esse confessio, per se loquendo: vnde solum excusatur aliquis, & per accidens remittitur peccatum sine confessione illius, quando inculpabiliter sen propter ignorantiam inuincibilem omittitur: non potest autem dici ignorantia inuincibilis, ad quam expellendam nulla diligentia & examinatio facta est: ergo.

Secundo est certum, hanc diligentiam non requiri etiam in omnibus, nec posse certa aliquid

Contraria
sententia
probat.
Bonau.
Adrian.
Sylvest.
Sotus.
Victoria
Navarr.

Scotus.
Gabr.
Maior.
Caiet.
Victoria.
Ledesma.
Cano.
Pet. Soc.
Navarr.
Sylvest.
Ruar.
Necessitas
mortalium
diligentiam
adhibere.
Cano. Dist.

mensura definiti, aut scribi; sed tantum dici posse, eam prudenter adhibendam esse, quæ moraliter sufficiat, considerata capacitate penitentis, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, & aliis circumstantiis. Cauenda tamen sunt extrema, vt scilicet, nec nimium onerentur conscientia, vel reddantur nimis anxie & sollicitæ: non enim est necessaria summa diligentia, quæ ab homine adhiberi potest: quia nulla ratione, vel autoritate hoc probari potest, & posset interdum inquietas reddere conscientias, quod est contra finem huius sacramenti. Propter quod dixit Nauatr. supra num. 72. nimiam in hoc sollicitudinem interdum posse esse malam, & inordinatam. Neque etiam sufficit leuissima diligentia, sed talis adhibenda est, qualem homo adhibere solet in re grati, & quæ illi maxime cordi est.

Neutr.

Vtrum ne-
cessitas ex-
traordinari-
am adhibe-
re diligen-
tiam.

Suo.
Caus.

Solet vero hoc loco inquiri: an teneatur penitens extraordinariam aliquam diligentiam adhibere, vt v. g. scribere peccata, vel quando ea recogitat, vel quando ea committit, si probabiliter credit ea obliuioni esse tradenda nisi scribantur. Respondetur ex communi sententia, neminem obligari ad huiusmodi extraordinariam diligentiam, & præsertim ad hanc de scribendis peccatis, quia scriptura est de se publicum instrumentum, & subiacet periculis. Propter quod Soto, non tantum negat hoc esse necessarium, verum esse consulendum. Caietanus vero verb. Confessio condit. ii. dicit hoc non esse necessarium esse tamen utile, vbi defectus memorie timetur: quod videtur certum, si prudenter fiat: quia est diligentia de se non mala, & alias ordinatur ad bonum finem.

Vtrum hac
diligentia
possi supple-
re confessore
interrogati.

Secundo inquiri potest: an hæc diligentia, vel defectus illius possit interdum suppleri à confessore interrogante, & scrutante conscientiam penitentis. Respondetur, interdum posse ex hac parte multum suppleri, quando speratur interrogationibus confessoris iuuandum esse penitentem. Imò, si penitens non est tantæ capacitatis, vt solus per se possit suam conscientiam sufficienter discutere, non est cogendus, vt inutiliter in eo laboret, & defatigetur, sed potest iuuari industria confessoris: & è conuerso quando confessor cognoscit talem conditionem penitentis, debet suis interrogationibus supplere defectum eius, quia vterque debet diligentiam suo muneri accommodatam præstare, hæc autem est quæ in illo euentu est moraliter necessaria. Sed non ideo existimandum est posse penitentes imparatos accedere, præsertim si confessiones post aliquod longum tempus fiant, quia fere impossibile est, vt repente interrogati, & nulla præhabita recogitatione, eorum recordentur, de quibus interrogantur. Semper ergo præmittenda est aliqua moralis diligentia pro captu penitentis: quando vero illa non sufficit, industria confessoris iuuandus est. Quid vero in hac parte teneatur facere confessor, dicemus infra agentes de obligationibus illius.

DISPUTATIO XXIII.

De integritate formalis confessionis eiusque defectu



Propponimus, integram confessionem peccatorum omnium, quæ in re ipsa commissa sunt, non ita esse necessariam ad hoc sacramentum conficiendum, vt in nullo casu aliter fieri possit. Hoc enim interest inter confessionem integram, & confessionem absolute, quod confessio est omnino necessaria, ita vt propter nullam causam, vel necessitatem sine illa possit sacramentum perfici, quia sine confessione nulla est accusatio, vnde nec potest esse iudicium. Item sine confessione non constat confessori de culpa, vel dispositione penitentis in hoc foro, &

A ideo nulla ratione potest eum absolueri: & ideo confessio simpliciter dicta omnino essentialis est. Confessio autem integra peccatorum omnium, quæ in re sunt, non est ita necessaria, quia sine illa potest esse vera accusatio, vtraque conscientiae manifestatio: sed est per se requisita quando fieri potest, ex diuino præcepto incluso in ipsa institutione huius sacramenti. Quapropter, sicut necessitas præcepti moralis est, quæ non obligat ad impossibile, ita etiam necessitas huius integritatis materialis, moralis est: & ideo locum non habet, quando talis integritas exhiberi non potest: alioqui non fuisset hoc sacramentum conuenienter institutum, tum quia frequentes casus occurrunt, in quibus homo non habet locum integram confessionem faciendi, cum tamen extreme indigeat hoc remedio ad salutem necessario: tum etiam, quia in ordinariis confessionibus multa memoria excidunt, quæ in confessione omittuntur, & ita ordinarius vsus confessionis esset humano modo impossibilis, si materialis integritas esset absolute necessaria. Atque ita omnes Theologi vnanimi consensu docent, quoties homo ex rationabili causa excusatur ab integritate materiali, formalem sufficere. Illa autem causa rationalis ex aliqua impossibilitate semper nascitur, quæ impossibilitas provenire potest, vel ex absoluta necessitate articuli mortis, vel ex alia morali causa, vel ex ignorantia, seu naturali obliuione, de quibus sigillatim dicemus: ac tandem videbimus, an integritas formalis sit omnino necessaria.

SECTIO I.

An propter instans mortis periculum sufficiat confessio, tantum integra formaliter, & quomodo faciendâ sit.

EX tribus capitibus contingere potest, vt penitens instante morte nõ confiteatur omnia, quæ in re commisit. Primo ex defectu vite proprie: secundo ex consortio aliorum existentium in simili periculo, vt verbi gratia, in naufragio: tertio ex parte ipsius sacerdotis, quia vel eius mors etiam imminet, & non est alius minister: vel certe quia timet graue contagium, & mortis periculum, si longo tempore talem agrotum audiat. Et in his omnibus dicendum est, si vera necessitas intercedat, posse absolutionem dari ante consummatam integram confessionem materialiter: nam illa confessio, quæ tunc pro temporis, & circumstantiarum oportunitate fieri potest, formaliter est integra. Quod satis patet ex fundamento initio posito, quod præceptum morale non obligat ad impossibile, vel simpliciter, vel moraliter: sed in his omnibus casibus interuenit impossibilitas, vel absoluta, vel moralis aliter confitendi: ergo præceptum non amplius obligat: ergo talis confessio est formaliter integra. In his ergo omnibus casibus sufficere ea dicere, quæ pro temporis oportunitate & ratione periculi dici poterint.

Tribus casibus potest quæ non confiteri omnia peccata

Necessitas dari materia certam

Illud tamen semper obseruandum est, vt quoad fieri potuerit detur materia certa, & non dubia, tñ quia religio sacramenti id postulat: tum etiam quia charitas etiã hoc postulat in illo maxime articulo, & ideo quoties potuerit dari particularis materia alicuius peccati in specie, id non debet prætermitti. Existimo etiã necessarium esse, si penitens habeat materiam necessariam, illam potius confiteri, quam non necessariam, cum tam breui tempore possit dici peccatũ mortale, quam veniale, & alioqui debeat præceptum impleri in necessariis, quantum potuerit. Erit etiam optimum cõsiliũ, si sint multa peccata mortalia, illud confiteri, quod maxime grauat conscientiam, vel in quo penitens maxime indiget